

§. I. Circa divisiones causarum efficientium non immerito prænotamus, esse quædam, in quibus illæ inter se conveniunt, quædam, quibus à se invicem differunt. Conveniunt singulæ in influxu, omnibus communi; differunt, in influxûs modo singulis peculiari. Non opponuntur sibi in puncto causæ, sed in puncto causæ talis & talis. Præterea dicimus, ipsas enumeratas efficientium divisiones rationi instituti nostri maximè sufficere ac respondere, nec abundare nec deficere, quod res ipsa testatur. De cætero agimus hîc de universalitate & particularitate non ratione essentia, sed ratione influxûs. Influunt enim quædam causæ, ceu rectissimè *B. Sperlingius in Institut. suis p. m. 175.* id deducit, universaliter ad omnium corporum naturalium productionem; quædam verò particulariter ad unius saltem generationem. Distingvenda ergò hæc sunt & suum cuiq; dandum, suum causæ universali, suum particulari. Homo cum generatur, influunt Parentes, Sol, DEUS. Sed aliter Parentes, aliter Sol, aliter DEUS. Parentes effectum determinant & specificant: Sol movet, instigat, sed determinare & specificare nequit; DEUS juvat, conservat, gubernat, non autem prædeterminat. Equus cum fit, DEUS agit, Sol agit, equus agit; Equus determinat, Sol instigat, DEUS conservat. Unde causæ particulares nisi moveantur & adjuvantur ab universalibus, nihil agunt. Quod oppidò quam luculenter patet hoc hyberno tempore, quo plantæ atq; arbores pullulare non possunt, sed mortuæ quasi dulci fruuntur quiete. Incrementa verò cum capessit cœlestis ille influxus, plantæ etiam & arbores novas produnt vires & fœnore largo surculos, folia, flores, fructus producunt. Quam in rem *Fernelius l. 1. de abd. caus. c. 2.* scribit, Appetente vere cum nos illorum (siderum) vis revisit, multas rerum novationes animadvertimus, emergere pleraq; omnia ac exhilarari; & quia vere calor redit omnibus, facta esse & succiplena omnia, herbas, fruges, arbusta flores gemmasq; trudere, & foliorum viriditate vestiri; animalia amoris stimulis incitari, eâ quidem ratione, quam Poëta cecinit:

Ver adeò frondi nemorum, ver utile sylvis.

B

Vere